



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. XI. Ordo Humiliatorum, per S. Ioannem Medam institutus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

## CAPVT XI.

*Ordo Humiliatorum, per sanctum  
Ioannem Medam insti-  
tutus.*

**O**Rdo Humiliatorū sub regula S. Benedi-  
cti cœpit circa annum millesimum cente-  
simum nonagesimum sextum. Henricus I. ad  
Imperij fastigium euectus, graue bellum Me-  
diolanensibus intulit, & vrbe solo æquata,  
Senatorij ordinis ciues, & nobilissimos quos-  
que viros in Germaniã ablegauit. Porrò exu-  
les albis induti vestibus, sæpius Cæsarem ge-  
nuflexo supplices rogauerunt, vt in patriam  
redeundi liberam ipsis facultatem concede-  
ret: quod cum demum impetrassent, nobi-  
lissimi viri plurimi eodem amictu vestiti, sū-  
ma pietate accensi, Deo Mediolani sese votis  
obligarūt; nec vllam rem publicam aut priua-  
tam attingentes, vni religioni diligenter stu-  
dentes, & victum suis manibus quærentes, vi-  
tam sanctè & religiosè traduxerunt. Forum  
Congregationē, nomine Humiliatorū Inno-  
cent. III. auctoritate Apostolica an. 1200. cō-  
firmavit. Sed totū ordinem Pius V. deleuit, &  
annuos eius prouētus in alios vsus destinauit.  
Nā quidā eius ordinis monachi, cōiurati in S.  
Caroli Borromæi Cardinalis, & Archiep. Me-  
diolanēsis necē, ob nefariū scel<sup>o</sup> cōdēnati sūt,  
& an. millesimo quingētesimo septuagesimo, 1570.

1196.

H 5

au-

auctoritate Pontificia, extinctus est ordo, cuius Præposituræ erant nonaginta quatuor, quarum annui proventus triginta millium aureorum summam efficiebant. Porro in toto ordine monachi erant centum septuaginta quatuor, quos ex ipsis facultatibus, distributis in victum monasticum, sustentari Pontifex iussit, & in religiosa disciplina Episcoporum cura contineri.

Locum porro, in quo sanctus Ioannes vixit apud Comum, post extinctum ordinem Humiliatorum, Clerici Somaschenses hodie tenent: vt tradit Ferrarius in Catalogo SS Italiae. Vocatur is, nisi fallor, *Rondinetum*, primaria olim Ordinis sedes, in diocesi Comensi. De Somaschensibus vide infra lib. 4.

## CAPVT XII.

*Iacobi Vitriaci, Cardinalis & Episcopi  
Aconensis, testimonium de  
ordine Humiliato-  
rum.*

SUNT quædam in Italia, & maximè in partibus Lombardiæ, virorum & mulierum regulariter viuentium congregationes, quos *Humiliatos* appellant; eò quòd in paupertate & asperitate habitus, & gestus exterioris compositione, & morum grauitate, & in omnibus verbis & operibus suis magnum ostendant